LA PENTECOSTE INNO DI ALESSANDRO MANZONI CON LA TRADUZIONE...

Alessandro Manzoni, Luigi Alvergna

LA
PENTECOSTE
INNO

DI ALESSANDRO MANZONI

CON LA TRADUZIONE LATINA

DELL'ABATE

LUIGI ALVERGNA

ED ALTRE

POESIE LATINE.

MILANO
PER GIOVANNI SILVESTRI
M. DCCC. XXIV.

LA

PENTECOSTE

INNO.

1.

MADRE dei Santi; immagine
Della città superna;
Del Sangue incorruttibile
Conservatrice eterna;
Tu che da tanti secoli
Soffri, combatti e prieghi,
Che le tue tende spieghi
Dall'uno all'altro mar;

2.

Campo di quei che sperano,
Chiesa del Dio vivente;
Dov' eri mai? qual angolo
Ti raccogliea nascente,
Quando il tuo Re, dai perfidi
Tratto a morir sul colle,
Imporporò le zolle
Del suo sublime altar?

3

E allor che dalle tenebre
La diva spoglia uscita,
Mise il potente anelito
Della seconda vita;
E quando in man recandosi
Il prezzo del perdono,
Da questa polve al trono
Del genitor salì;

4.

Compagna del suo gemito,
Conscia de' suoi misteri,
Tu della sua vittoria
Figlia immortal, dov'eri?
In tuo terror sol vigile,
Sol nell' oblio secura,
Stavi in riposte mura,
Fino a quel sacro dì,

5.

Quando su te lo Spirito
Rinnovator discese,
E l'inconsunta fiaccola
Nella tua destra accese;
Quando segnal dei popoli,
Ti collocò sul monte;
E ne' tuoi labbri il fonte
Della parola aprì.

6.

Come la luce rapida
Piove di cosa in cosa,
E i color varii suscita,
Ovunque si riposa;
Tal risonò moltiplice
La voce dello Spiro;
L'Arabo, il Parto, il Siro
In suo sermon l'udì.

7.

Adorator degl' idoli,
Sparso per ogni lido;
Volgi lo sguardo a Solima,
Odi quel santo grido:
Stanca del vile ossequio,
La terra a LUI ritorni:
E voi che aprite i giorni
Di più felice età,

8.

Spose, cui desta il subito
Balzar del pondo ascoso;
Voi già vicine a sciogliere
Il grembo doloroso,
Alla bugiarda pronuba
Non sollevate il canto:
Cresce serbato al Santo
Quel che nel sen vi sta.

9.

Perchè, baciando i pargoli
La schiava ancor sospira?
E il sen che nutre i liberi
Invidïando mira?
Non sa che al regno i miseri
Seco il Signor solleva?
Che a tutti i figli d'Eva
Nel suo dolor pensò?

10.

Nova franchigia annunziano
I cieli, e genti nove;
Nove conquiste, e gloria
Vinta in più belle prove;
Nova, ai terrori immobile
E alle lusinghe infide,
Pace, che il mondo irride,
Ma che rapir non può.

11.

O Spirto! supplichevoli
Ai tuoi solenni altari,
Soli per selve inospite;
Vaghi in deserti mari;
Dall' Ande algenti al Libano,
D'Ibernia all'irta Haiti,
Sparsi per tutti i liti,
Ma d'un cor solo in Te,

12.

Noi t' imploriam: Placabile
Spirto discendi ancora ,
Ai tuoi cultor propizio ,
Propizio a chi t'ignora:
Scendi e ricrea: rïanima
I cor nel dubbio estinti:
E sia divina ai vinti
Il Vincitor mercè.

13.

Discendi Amor; negli animi
L'ire superbe attuta:
Dona i pensier, che il memore
Ultimo dì non muta:
I doni tuoi benefica
Nutra la tua virtude:
Siccome il Sol che schiude
Dal pigro germe il fior;

14.

Che lento poi su le umili
Erbe morrà non côlto ,
Nè sorgerà coi fulgidi
Color del lembo sciolto ;
Se fuso a lui nell' etere
Non tornerà quel mite
Lume , dator di vite ,
E infaticato altor.

15

Noi t'imploriam: Nei languidi
Pensier dell'infelice,
Scendi piacevol alito,
Aura consolatrice:
Scendi bufera ai tumidi
Pensier del vïolento;
Vi spira uno sgomento
Che insegni la pietà.

16.

Per Te sollevi il povero
Al ciel, ch' è suo, le ciglia;
Volga i lamenti in giubilo,
Pensando a CUI somiglia:
Cui fu donato in copia
Doni con volto amico,
Con quel tacer pudico,
Che accetto il don ti fa.

17.

Spira dei nostri bamboli
Nell' ineffabil riso;
Spargi la casta porpora
Alle donzelle in viso;
Manda alle ascose vergini
Le pure gioie ascose;
Consacra delle spose
Il verecondo amor.

18.

Tempra dei baldi giovani
Il confidente ingegno ;
Reggi il viril proposito
Ad infallibil segno ;
Adorna le canizie
Di liete voglie sante ;
Brilla nel guardo errante
Di chi sperando muor.

PENTECOSTES

HYMNUS.

Coelitum Mater; superæ Figura
Urbis; Asservans calicem salutis
Usque; sperantûm Clypeus, Deoque
Auspice Turba:
Quæ diu pugnas, toleras, precaris;
Quæ tabernaclum maris utriusque
Explicas oris; ubi tunc jacebas?
Quæve recepit
Terra nascentem, juga cum super Rex
Tractus ad mortem Tuus a scelestis,
Purpura tinxit lapides ab alta
Pendulus ara?
Cumque divinum tumulo resurgens
Corpus assumpsit validos secundæ
Halitus vitæ, veniæque gestans
Pignora dextra,
Ex humo scandit solium Parentis,
Tu Sui consors gemitus, Suisque
Particeps sacris, ubi jugis Ejus
Filia palmæ?

Præ metu solum vigil, atque solum
Tuta, quod nulli manifesta clausis,
Delitescebas foribus, quousque
Fulserit illa

Sancta lux, quando Paracletus in Te
Lapsus accendit jubar usque flammans
In Tua dextra, populisque signum
Monte locavit;

Et Tuis pandit labiis disertum
Rivulum. Ceu lux cita res per omnes
Depluens multos animat colores,
Qua requiescit:

Multiplex Almi sonuit loquela
Spiritus æque, propriaque lingua
Audiit Partus, Syrus, et Sabæus,
Quisque loquentem.

Cultor Idolûm, regione quaque
Fuse, contempla Solymam, piisque
Vocibus pare: redeant ad illum
Cuncta perosa

Futilem cultum loca; vosque nuptæ,
Quæ dies fertis melioris ævi;
Quas repentinus latitantis excit
Ponderis ictus;

Vos soluturæ gremium doloris
Omne fallaci prohibete carmen
Pronubæ: crescunt uteri dicanda
Germina Sancto.

Cur adhuc natos gemit osculata
Serva ? Cur spectans gremium ferentis
Liberos odit ? Latet an misellos
Numen ad Aulam

Sublevans Hevæ meminisse cunctæ
Prolis afflictum ? Nova dant asyla ,
Et genus Cœli ; mage pulchra lucet
Gloria factis ,

Et novæ palmæ ; nova pax minaci
Ore , vel blando minime subacta :
Impos hanc, etsi salibus lacessat ,
Tollere mundus.

Nos Tuas aras , Deus alme , proni
Ante solemnes ; per inhospitales
Unici saltus ; maribus vagantes ;
Exque nivosis

Andibus juxta Libanum , plagasque
Propter Hibernas ad Haytis hirti
Insulam ; sparsi , sed ubique cordis
Unius in Te :

Te peroramus: Paraclete , mitis
Desili rursus , rege Te colentes ,
Atque qui nondum potuere sanctum
Discere nomen :

Desili promptus , recrea ; labantes
Sustine ; victis sit et ipse divum
Præmium Victor. Paraclete : Cœlum .
Linque ; superbos

Dissipa motus animi, piumque
Cordis affectum renova potenter,
Quem dies nullo, memor usque, casu
Ultima vertit:

Nutriat Virtus Tua larga, quæque
Dona Tu confers. Uti sol inerti
Germini florem reserat; dein qui
Languidus, atque

Spretus in vili morietur herba,
Veste nec surget nitidus soluta,
Mite ni rursus jubar illud olli,
Æthere fusum

Splendeat vitæ dator, integerque
Auctor. Ut lenis venias, precamur,
Aura solatrix misero; superbis
Turbinis instar

Desili terror pia corda præbens;
Perque Te cernat sua regna sursum
Pauper, et, cui par, meditans, cruces in
Gaudia mutet:

Qui fuit donis cumulatus, ille
Alteri blando quoque donet ore;
Conticens reddat modus ipse gratum
Munus egenti:

Candidos risus ale parvulorum;
Os puellarum line castus ostro;
Virginum claustris adopertus esto
Pura voluptas:

Consecra nuptis studium pudicum ;
Ultro fidentem juvenum coerce
Indolem ; voto facilem virili
Adjice metam :
Integris albam decora senectam
Gaudii curis ; morientis alti
Spe futurorum dubias coruscans
Dirige luces.

CHRISTUS PASCHA NOSTRUM

O D E.

FALSIS per orbem relligionibus
Gentes ruebant in vetitum nefas;
  Vanum tenaces heu! Deorum
    Fictilium retinere cultum.
Humana tinxit sanguine victima
Aras, ministros, quodque negat pudor
  Efferre. Quis credat scelestos
    Dedecoris potuisse tantum?
Excedit omnes ingenii vices
Noxis carentem ducier ad necem,
  Tum maxime, cum lictor instar
    Sontis eum perimit bipenni.
Majora captu fundere cogitans,
Noster vagatur spiritus: o Deus,
  Adfer loquendi vim supernam,
    Ut decet, Omnipotens, precanti.
Edocta grates solvere debitas,
Primæva cultus integritas Deo,
  Regnare vix cœpit, repente
    Inficitur vitio parentum.

Verone falsi quid prius extitit ?
Nil. Ergo serpens, ut sua, cur adhuc
Usurpat error veritatis
Jura, quibus populus fefellit ?
Ad perferendum nos data cœlitus
Augusta Christi Relligio movet,
Ut movit olim lex prophetas,
Quam tabulis Deus exaravit.
Utrumque divam traxit originem,
Fœdus timoris jam fuit, alterum
Est charitatis, quod benigne
Substituit veteri Theander:
Qui per dolores omnibus omnium
Plagis mederi scivit, ut amplius
Ingens sophorum multitudo
In Medicum nequeant abuti.
Æterna gentes lædere Numinis
Viventis audent jura, sed impiis
Dant ista figmentis, et ajunt;
Luna jubet sibi thus cremandum.
In quem, scelesti, vos furor impulit ?
Factis, Hic inquit, non Mihi, credite:
Tot signa, tot miracla, tot Me
Esse probant benefacta Numen.
Me quinque panes, pisciculi duo;
Versæque lymphæ protinus in merum,
Lucemque mox nactus diei
Ex utero sine luce natus:

Me claudicantes, Me paralytici,
Me Petrus undis desuper ambulans,
Me turba, Me fœtens adorat
Lazarus ex tumulo resurgens.
Audite Jesum. Quam pius in suos
Hostes! Amico Me petis osculo;
Ad proditorem dixit: aurem
Incolumem dedit amputato;
Quam Petrus ardens ense reciderat.
Prostravit una voce satellites,
Erexit una, quem tametsi
Instar ovis capiunt, trahuntque.
Audite Jesum. Quam pius in domo!
Qua sciscitanti Pontifici bene
Respondit: in templo docebam,
Usque palam, minimeque furtim.
Tormenta, clavos, jurgia, vulnera,
Spinas, tot ictus, tot probra sustinens
Virtute munivit redemptos,
Quod male percipiunt iniqui.
Audite Jesum. Quam pius in Cruce!
Vobis salutem flagitat a Patre,
Insos reis. Cur estis almæ
Indociles juga ferre pacis?
Dicto maligni Præsidis innocens
Cessit flagellis; cui tamen arbitri
Heu! prætulistis vos Barabbam,
Carcere, supplicioque dignum:

Qui si fuisset Numine concitus
Pœnas amâsset pendere criminis;
Quam Pascha Nostrum Christus olim
Pro populo fuit immolatus.
Vel cedit orbis, vel patitur Deus:
Tot monstra cernens asseruit sophus,
Terræque motum, siderumque
Deliquium, tenebrasque solis.
Ast ni redisset Victor ab inferis,
Divinitatis nulla foret nota:
Surrexit, ut dixit, notamque
Indubiam populis reliquit.
Tot veritati lumine detulit
Error priori pejor, ut insuper
Testes per ipsos dormientes
Esse Deum magis eruatur.
Regni superni Jesus Apostolis
Claves adeptas funere tradidit;
Ad dexteram Patris reversus,
Flamine corda replevit almo.
Nolite, fratres, dogmata sæculi,
Aut carnis, aut quod deterius foret
Pro luce sectari tenebras:
Hæc abeant, novitate morum.
Estote fortes rebus in arduis:
Vexilla muti frangite dæmonis:
Nos Jesus armavit potenti
Justitiæ, Fideique scuto.

O corde recti : credite : plurimos
Devota furtim vexat hypocrisis ,
Quos ore mendaci petitos
Absoluit Themis , æqua vindex.
Nitamur omnes jugiter æmuli ,
Queis una Christi Gratia suppetit ,
Verbis et exemplo perennes
Divitias cumulare tantum :
Est namque stercus vita superbiæ :
Omnes tenemur vivere sobrii ;
Hinc nosmetipsos abnegantes,
Post obitum requie fruemur.
Tu Pascha Nostrum , Christe piissime ,
Intus latrantûm monstra cupidinum
Hauri : Decus Nostrum , Salusque
Carnificum quoque pœnitentûm.

AD CRUCIFIXUM.

Ego sum Via, et Veritas, et Vita.

Jo., *Ev.*, c. XIV, v. 6.

Qui non diligit, manet in morte.

Jo., *Ep.*, I c. III, v. 14.

Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.

Luc., c. XXIII, v. 34.

Diligite inimicos vestros, bene facite his, qui oderunt vos.

Matt., c. V, v. 44.

AD CRUCIFIXUM

—

Quae vox intonuit, quæ vox mihi perculit aures?
Sum Via, sum Verum, sum tibi Vita simul.
Dæmonis est odium: Mea Crux tibi dictat amorem:
Dilige: dilexi te prior; unde salus.
Lex vetus illata mortem pro morte poposcit:
Lex nova dat vitam, cui bene velle dedi.
Diligo carnifices: num vos latet esse Theandrum,
Qui mihi præstat opem? diligo carnifices.
Diligo carnifices: pro cunctis Ipse rogavit
Hostibus Æternum: diligo carnifices.
Me facit esse pium miserentis Gratia Christi:
Relligione caret, qui negat esse pius.
Diligo carnifices: insonti parcite Christo;
Plectite me sontem: diligo carnifices.
Diligo carnifices: pro me dedit oscula Mater
In Cruce Pendenti: diligo carnifices.
Me facit innocuum miserentis Gratia Christi:
Fit reus ante Crucem, qui negat esse reus.
Diligo carnifices: non est dilectio major,
Pro quibus opto mori: diligo carnifices.

Diligo carnifices : vitam cum sanguine fudit,
  Qui me vult salvum : diligo carnifices.
Me facit electum miserentis Gratia Christi :
  Desinat esse malus, qui cupit esse Dei.
Diligo carnifices: en Christi vox: Ego merces
  Sum tua magna nimis : diligo carnifices.
Diligo carnifices : hæc est Victoria Christi,
  Quam peperit moriens : diligo carnifices.
Me facit invictum miserentis Gratia Christi :
  Divus, ut hæredi, jus mihi servat Amor.